

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1251

Auteur(s) : Richard de Vérigny [particulier]

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1260, juillet

Lieu d'émission : Bayeux Manvieux

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Richard de Vérigny, de Manvieux, donne en pure et perpétuelle aumône et garantit au chapitre de Bayeux une rente annuelle de 20 sous tournois sur un masusage, paroisse de Notre-Dame-des-Fossés, à Bayeux : le chapitre lui verse 10 livres tournois.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXV, t. 2, p. 207-209.

Texte établi d'après a

Sciant omnes præsentes et futuri quod ego Ricardus de Vreigneio, de parrochia de Manvex, pro salute animæ meæ et animarum parentum et amicorum meorum, dedi et concessi Deo et capitulo ecclesiæ Baiocensis, in puram et perpetuam elemosinam, de assensu et voluntate Petronillæ, filiæ Jacobi Crispini, uxoris meæ, viginti solidos Turonenses annui redditus, quos habebam et percipiebam annuatim in quodam masuagio sito in parrochia Sanctæ Mariæ de Fossato, inter masuagium quod quondam fuit Henrici Le Tort, ex una parte, et masuagium quod quondam fuit Michaelis Le Hardi, ex altera : tenendos, percipiendos et habendos prædicto capitulo prædictos viginti solidos Turonenses annui redditus in dicto masuagio, cum omni jure et dominio quæ in eodem masuagio habebam, et habere poteram et debebam, et cum omnibus quæ in eodem masuagio mihi vel meis hæredibus possent de cetero evenire, bene et pacifice, libere et quiete, absque contradictione et reclamatione mei de cetero et hæredum meorum ; ita quod prædictum capitulum, vel ejus nuncius quicunque fuerit, poterit in prædicto masuagio, quocienscumque necesse fuerit et voluerit, absque aliqua contradictione, plenariam justiciam exercere, et facere in eodem masuagio quicquid ego et hæredes mei in eodem masuagio vel de eodem deberemus facere et possemus, si adhuc prædictum redditum, cum jure et dominio, in nostris manibus teneremus. Et ego prædictus Ricardus et hæredes mei tenemur et debemus hanc prædictam donationem et concessionem in prædicto masuagio præfato capitulo garantizare, liberare et defendere contra omnes, et excambiare, si necesse fuerit, valore ad valorem, competenter, et quadam pecia terræ meæ, sita in territorio parrochiaæ de Manvex, inter terram Henrici de Fonte, ex una parte, et quemunum domini Regis, ex altera : quam quidem peciam terræ ego obligo, constituo, et assigno specialiter et expresse, ad prædictum excambium prædicto capitulo, si necesse fuerit, faciendum, tali modo quod ego et hæredes mei illam prædictam peciam terræ non poterimus de cetero vendere, vel donare, vel ex aliquo redditu honerare, seu extra manum nostram ponere, vel alicui alii obligare, absque voluntate prædicti capitulo et licentia speciali. Pro hiis autem garantizatione, liberatione et defensione prædictæ donationis et concessionis, et pro prædicto excambio a

me et meis hæredibus prædicto capitulo, si necesse fuerit, faciendo, sæpedictum capitulum dedit mihi, de bonis suis, decem libras Turonenses in pecunia numerata. Et, ut hoc firmum et stabile in perpetuum teneatur, præsentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratiæ millesimo ducentesimo sexagesimo, mense julii, coram parrochiis Sanctæ Mariæ de Fossato et de Manvex.